Wi[illegible] el Polon. Rex
Eleonora [illegible] Josepha

Clari montis fratrum Ord. S. Pauli primi Eremitae: Nuptialis suadae Paulinae apparatus, quem ad augusta Regum Connubia Serenis. ac Potentiss. Michaelis Korybut et Eleonorae Mariae Josephae — mons Clarus exhibuit.

NVPTIALIS SVADÆ PAVLINÆ APPARATVS,

QVEM,

Ad Augusta Regum Connubia,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

MICHAELIS KORIBVTH,

DEI GRATIA REGIS POLONIÆ

Magni Ducis Lithuaniæ, Rußiæ, Prußiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Czerniechoviæ, &c. &c.

ET

SERENISSIMAE AC LECTISSIMAE

ELEONORAE MARIAE IOSEPHAE

POLONIÆ REGINÆ

Vngariæ & Bohemiæ Principis, ac Archiducis Austriæ, Styriæ, Carynthiæ, Tyrolis, Burgundiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, necnon Mantuæ & Montis-Ferrati, &c. &c.

DVM

In Sacello Virginis Matris, per Orbem miraculis clarissimæ, Fratrum Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ,

Totâ Applaudente Regalium Nuptiarum Solennitati Europâ,

Sacro Matrimoniali fœdere manꝰ jungerent,

Exspectatißimæ, ac felicißimæ adstipulando lætitiæ,

MONS CLARVS

Exhibuit.

Anno Diuini cum Natura Humana Connubij M. DC. LXX. Mensis Die

CRAC: Apud STANISLAVM PIOTRKOWCZYK, S.R.M. Typog.

Mulieris bonæ Beatus Vir, nam numerus duplicatur dierum ipsius.

Ecclef. 9.

Gratia super gratiam, Mulier Sancta & Pudica.

Ecclef. 16.

Coniugium, Genus Hominum Immortale reddit.

Plato.

SERENISSIMIS
AC
LECTISSIMIS SPONSIS,
MICHAELI
KORIBVTH,
ET
ELEONORÆ
MARIÆ IOSEPHÆ,
DEI GRATIA REGIBVS POLONIÆ,
Dominis Clementissimis.

MAiestatem è legitimo Honoris & Reuerentiæ Coniugio, olim in terris natam accepimus SERENISSIMI SPONSI REGES. *Nobilissima hæc fuit humanæ conditionis portio, quam non decere Mortales, vbi visum Superis; natam, ac educatam in terris, ut hospitem peregrinari voluêrunt, propediem auocandam ad Sidera: Pòëtarum commentum est, quibus sicut nec veritas, ità nec reuerentia seruatur, cùm Maiestatem amiserint. Habet suas, quas veneretur Maiestates terra, quæ sua colit Numina (si Plutarcho credimus:) in terra sunt Dei simulacra, in quibus non tantùm, vt in promiscua hominum multitudine, Diuinæ particula auræ; sed ipsa cum Potestate Maiestas, vtpote Character Diuinitatis, relucet. Eiusmodi Maiestates è Cælis, postliminio traditas Poloniæ, ac humanam indutas formam, in Vobis Polonus adorat Orbis* SERENISSIMI REGES, *quos non aliundè, quàm è Cælo datos, Gentilitia testantur Sidera, quæ cùm retrocedentium annorum euincunt Soles, non à Mari surgentem, sed à*

MARIA *Orbi Polono inuexerunt diem; vt iam nihil beatæ libeat Poloniæ, quàm ad Maiestates Vestras prouolutam, sub Serenitatum Vestrarum radiis apricari. Sole nouæ felicitatis beâstis Poloniam. Alieni Soles & innocentem pupillam perstringunt; Maiestatum Vestrarum Splendores, eò gratiores, quò pleniùs irretortâ hauriuntur palpebrâ: nemo spectat, quin illustretur; nemo accedit, quin accendatur; quin ardeat, & clarior euadat, recedit nemo. Solus hîc meritò pupillam lædi metuat, qui Serenitatem læserit. At non modò Mentium, sed & Montium hæc est Serenitas. Habet, quo glorietur splendore Vauelus Collis, cùm Tibi Splendori suo, non ità pretiosis ornatam lapidibus, ac lapideis grauatam curis, imposuit Coronam* SERENISSIME REX: *Huic tanto oneri leuamen Mons Clarus tribuit, dum & Regni, & Coronæ Consortem* Tibi *sociat* SERENISSIMAM ELEONORAM. *Communis inde, Senatûs Populiq́; Poloni, specialis tamen Montis Clari lætitia; quem, inuitante ipsa Diuinitatis Aulâ* MARIA, *posthabitis Regum sumptuosis Aulis, in Vestræ solemnitatis partem dignanter admisistis.* Vnus *hîc desiderari videbatur* Apparatus. *Seruiuit calamus tam arduo molimini, nec tamen parem Regiæ dignitati* Apparatum *erexit, quia impar voto. Maluit tamen, verbis infacundus, quàm votorum infœcundus videri, & de sua tenuitate, quàm ingratitudine erubescere, pretiosum* Apparatum *ratus penes Candorem, verecundum Ruborem; cùm teste Philosopho:* Optimus color quem gignit pudor. *Et quoniam fusiùs in fronte, quàm in pagina, publica legitur lætitia, frons rubore suffusa nostrorum affectuum & votorum interpres, Synopsis esto. Illustris enim splendor est, qui non ad viles lacernas; sed ad Augustas Regum Purpuras erubescere cogitur. In hac* MARIANA *Specula, dum subjectam Vobis ac prostratam lætitiâ ac Spe pariter ingenti, erigitis Poloniam, cum tenui* Apparatu *ad Majestatum Vestrarũ pedes procumbimus, in quo, quot characteres, tot debitæ subiectionis notas porrigimus, precando, vt quos* Vestrarum Serenissimarũ Majestatum *serenitate serenâstis, in eadem foveatis & faveatis.*

Ità precatur

SERENISSIMIS MAIESTATIBVS VESTRIS

æternùm devotus

Clari Montis Parthenon MARIANVS,

Fratrum Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ.

MONS CLARVS MONS MAGNETICVS, SERENISSIMOS NEO-SPONSOS trahens.

Aſſurgite Clari Montis Oreades!

Dum noua continuatæ Felicitatis ſuæ, in Sereniſsimis Neo-Sponſis venerabundus, adorat auſpicia, Polonus Orbis!

Aſſurge teipſo altior Mariane vertex;

In terra fixiſti baſim, cœlorum tranſcendis vicinia, clarum caput claris illaturus aſtris:

Magnitudini tuæ cùm natura metam poſuit, terminum Claritati non præſcripſit.

Ad votum tuum omnia ceſſura, Patria, non dubita, vbi rem tuam agendo, terra cum cœlo paciſcitur.

Polonam polum, ſiderum quid miraris coniunctam polo?

Cœlum in Montem, vides duxiſſe Colonias, vel montem ipſum inquilinum aſtris inſeruiſſe verticem; iam opineris terram cum cœlo, amico ſociatam fœdere.

TVI ſunt à TE mutuati ſplendores

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX

MICHAEL KORIBVTH,

Illuſtriſsimis quibuſque Principum Stemmatibus illuſtriora inſignia, Clarum coronantia Montem,

Luna Stellæ Socia;

Si tamen non minùs cum noſtra quàm Tua, Tuum dicendum eſt, iniuriâ, quod Tecum omnibus, ſui prodigâ Regum Polonorum Clementiâ, commune eſſe iuſsiſti, & voluiſti.

Non modò ad communem, Felicitatis, ſplendoris, & vitæ vſuram affulgent meridiano ſereniora ſole Tua inſignia, Aquilæ Polonæ pullis, ſed ad Imperialis Aquilæ prouocandum Ocellum,

SERENISSIMAM REGINAM POLONIÆ

ELEONORAM MARIAM IOSEPHAM,

Vngariæ, Bohemiæ Lectiſſimam Principem, ac Archiducem Auſtriæ.

Quò volaret, ad KORIBVTHEÆ Cynthiæ radium, nubilos pupilla peroſa ſoles, niſi quò Magnetis virtus occulta trahit.

Habent certè Magnates, & patiuntur Magnetes ſuos queis trahuntur.

Reſiſtere non poteſtis, vbi virgineis in manibus cordium Veſtrorum ſuſpexiſtis Magnetem,

Traxerat olim & leues paleas, & ferrea corda, Clauas & Heroum arma, nunc Heroës & Heroinas in triumpho ducit.

Adestis

Terrarum, & Virtutum Principes,

Lectissimi, Serenissimi, Potentissimi

NEO-SPONSI

Gratâ Magnetis tracti violentiâ.

Orientalis est; vbi Vestros in se obrutus torsit, occasum intueri non sinet, *Cui & trahere, & tenere, non proprietatis officium sed naturæ.*

Huius hodie nutum sequimini, si tamen sequimini qui præuolatis;

Quibus ad perniciorem volatum,

Cum Regalibus Aquilis, & Fama Nominis, & Splendor Sanguinis,

Et virtutum insignia, & meritorum præmia,

Duce Auita vtrinque Maiorum Pietate,

Succollatores substernunt humeros.

Respexit hic Magnes Gentilitiam Cynosuram Tuam, quam traheret, traxit; quam teneret, tenuit; vt magnetis comitem, cor Tuum prouocaret,

SERENISSIME REX MICHAEL,

Quod, cùm manibus gerendum Marianis ingerere debuisti, premendum subiecisti calcaneis;

Volauit tamen ad Maternum sinum, & inuolauit manus Filij, vt regeretur

In manu DEI cor Regis.

Liberior, quando Magneticæ paruisti violentiæ; liberalior, dum in pretio pretium, ex affectus Regij Regali censu, consecrasti.

Hinc discimus

Non posse Marianas quenquam soluere pedicas, quas semel Diua iniecerit Pietas.

Mobile, vt ad Magnetis nutum, ad motum Principum moueri vulgus, in Te videmus, Rex Potentissime.

Gloriosum Tibi sit, Regem esse Gentis liberæ, sed non liberum; Quem, concatenati subditorum affectus si non vincunt, vinciunt tamen.

In omnia cùm domineris vt Potentissimus, vnum nec imperare, nec impetrare poteris, ne amemus; ad quod violenter impellis, si prohibes.

His vinculis ad Magnetem trahis

E nobilissimo Poloniæ Comitatu, & vt Rex, & vt Pater, Liberos, Simul Matrem & Reginam.

Ingrederis hodie primùm oculis, pridem illapsa animis,

SERE-

SERENISSIMA REGINA.

Et ne sola Tibi, communi Reipublicæ destinatæ, particeps videaris lætitiæ, ad Magnetem Tuum Hospites & testes trahis.

Et bene;

Neque enim arctè, Mariani compedes, Regum vincirent amores, si subditorum secum affectus non ducerent.

Huc respexit olim

AVGVSTISSIMVS AC INVICTISSIMVS,

Quanquam & præsentem in Te intuemur ac salutamus,

FERDINANDVS III. PATER TVVS,

Dum in Vienensi foro Magnetem Marianum erexit,

Tum verè Imperatorem se ratus, si & Sceptro gentibus, & tali illicio in Marianum obsequium captiuandis dominaretur affectibus.

Vtriusq; Principis & Virtutum & Maiestatum Societate, Nobilitatis Tuæ Claritatem augeri non dubita, Polonorum sanguis inclytissime;

Si Augustos splendores angusta terrarum latitudo non ambit,

SERENISSIMOS NEO-SPONSOS

vt Patrem & Regem, Matrem & Reginam

Dilatato affectu complectere.

Cynosuram, & Ariadnam habes, magna ad reuerentiam Numina, ad Felicitatem omina, quam Tibi melioris Fortunæ viam monstraue-rint; Principibus Comes esto.

Ergò

Parcite fatales Parcæ, inchoatæ & hucusque continuatæ felicitatis, & aurei seculi, aurea fila rumpere:

Si obstinato nomine longa non permittitis secula,

Liberalis Polonorum animus hæc abrumpenda non timet stamina, quæ vel ipsius vitæ iacturâ redimeret.

Haud quaquam vel sibi vel Regibus metuit,

Cùm ad Magnetem suum Neo-sponsorum manus, corda, & Fortunam torque adamantino illigata videt.

Hærebitis in corde, quos appendit in pectore.

Trahere enim & tenere Magnetis est:

Hic Magnes non tenet, quin semper teneat quos leuauit.

MONS CLARVS MONS VMBROSVS,
SERENISSIMIS NEO-SPONSIS
Proto-Eremiticam Palmam explicat.

Donari Palmâ, ſola meretur virtus.
Ad Palmas naſci, non cujuſuis eſt fortuna;
Niſi cui in Maioribus, ad Palmas præluſerunt victoriæ.
Pacata Polonia ſuîs concordibûs pugnîs diſſidet,
Dum ſopitis bellorum fomitibus odijs, Koributhei ſideris ardoribûs ſcintillantia corda, ad novi Martis, noua prælia animantur.

Glorioſæ ſpes magna victoriæ
SERENISSIMI NEO-SPONSI,
vbi inter victrices Palmas, non armîs ſed animîs bello proluditur.

Vos triumphus manet, cùm Vobiſcum, & pro Vobis amore certatur.
Sub Palma triumphos agitis.
Speciosiſsimus Regum hic triumphus, in quo beneuolentiâ captiuati ducuntur Ciuium animi.
Quanquam veriùs, quos viciſtis, triumphare victos permittitis; ſed non hoſtes.
Gaudeat ſuæ, Vulcanius Mons, inter ardentiũ ſaxorũ enatæ Cunas, Palmæ proceritate, gloriari tamen non audeat claritate triumphi!
Habet ſuos, quibûs fouetur, Palmæ amicos ardores Mons Clarus; quos non terra, ſed Cœlum dedit,
Veſtrarum dico Maieſtatum Parelia,
Quib⁹ dum Palmeta Eremitica reſpexiſtis, fæcũdaſtis.
Creuit Palma, nec fruſtra, hanc noſtra gratitudo explicare decreuit Rata, quòd

Sereniſſimus ac Potentiſsimus Rex
MICHAEL KORIBVTH
poterit
Et hîc vmbrâ coli
Sed

Non a-

Non amat vmbram, quæ videri amat in Vobis, Polona Felicitas,
In hoc Palmarum luco, repandens publicæ luci proſcenia;
Cuius Vos & Auctores, & Actores, & Spectatores eſſe voluiſtis,
dum cum Palma, pro Palma, novos inſtauraſtis agones:
Curſûs Victoriæ, triumphi
Ipſi, Comites & Principes.
Humilis ambitionis votum erat, dare palmulas Sponſorum
capitibus apud Athenienſes ſpargi ſolitas, ſi vel humilitas eò vſq;
ſurgere præſumeret, vel Majeſtatum Veſtrarum
inclinationem mereretur.
Facimus, quod & Veſtro debito, & noſtro voto ſerviet:
Corda, Manus, & Palmas, ut victi, porrigimus
in benevolentiæ Regalis compedes,
Vbi certò
Et Fortunæ noſtræ vigorem, & Palmæ virorem perenniùs
duraturum novimus.
Auſtera hæc Palma & aſpera, ſi manus aſperat.
Mons, illibatæ Virginis ne fieret Cedrorum ferax Libanus,
In quo ad Veſtri Nominis & vitæ immortalitatem, mortalitati
non ceſſuras, dulcis labor tabulas cæderet,
Præuenit fortunata, omine mortalitatis mutato, Menſæ Nazarææ Cupreſſus, ad quam Vos, Heredes ſicut Regni, ita immortalitatis ſcribit,
AVGVSTISSIMA
Polorum & Polonorum REGINA:
Et ſceptris, & Palmis Veſtra vult niti Solia.
Palmas Veſtræ Regalis proſapiæ quis ignoret, quas Europa novit?
Solus ignorare velle videtur, qui ſe non noſſe ſimulat.
Et quia *Maiores, cum dato ſanguine, indole, & virtute, prodigum ſui in filios affectûs patrimonium, & poſthumam tranſcribunt heredibus gloriam*;
Ipſi, mortis & Martis in Vobis victores, mortem ſuã,
(ſi tamen dicenda mors, poſt quam immortalitati in prole vivitur)
Veſtrâ vlciſcantur vitâ.
Sive Regales purpuras, Coronas & Sceptra, ſive Ducales Mitras,
ſive ſuos, in meſſe victoriarũ collectos palmarum relinquunt manipulos,

 & Fi-

& Filiorum & Nepotum debetur gloriæ:
Quidquid per legitima, sive PIASTÆI Sceptri ad Vos hucusq; devolutũ,
sive ab Austriacis delatum Insignibus,
Vestræ militat gloriæ, servit dignitati.
Et ne quidquam omnibus deesse videatur,
Vobis tributariam Fortunam, suam facit Polonia, pretiosum
tribuens in affectu censum,
cùm subditorum proniores ad Serenissimas Majestates
Vestras, inclinavit animos:
quorum inclinatione sublimari Reges,
& olim Sapientum, & nunc experientiæ, probavêre sententiæ.
Nil mirum subinde
Curvari qui portant Orbem,
Cùm fragile sit Sceptrum, quô sublimis in solijs fulcitur gloria,
si aurei subditorum affectûs non nitatur fundamine.
Ad Majestatis stabilitatem dextras jungite,
sinistram debellaturi fortunam
Et REGES & SPONSI.
Ad Vestra connubia, & Polonia suam cum Fortuna
sponsionem faciet,
quam si quis novercam expertus, nunc Matrem noscet.
Sub grandi curarum mole, si quando solida aliorum fatiscunt sceptra,
Casu alieno, Vestrum ne metuite,
si Vestra solia, hinc Sceptris, hinc armis, hinc amoribûs
& sublimibus victoriarum nituntur Palmis,
donec Vos in Immortalitatis subliment Capitolia!
Capitolinus est hic Montis MARIANI vertex,
vbi Vobis summa Cœli terræque Capita
decernunt Palmas.
Ad Palmas vocat, vt fauoris vmbras explicet
Quasi Palma exaltata in Cades:
Habet & alias, quas Vobis seruauit Mons Clarus.
Victorum hîc tellus rigata sanguine, ideoq; nec infæcunda,
quam cùm Sueticus obsidione pressit Annibal,
solùm exprimere sanguinem, non opprimere trophæa potuit.

Fœcun-

Fœcundus ſemper eſt Polonorum in Campo ſanguis quem ſeges Palmarum vberrima ſequitur.

Eremitici Palmeti ſurcule,
Tot inter Auguſtas victorum Palmas, obumbra
ſerenitatem Majeſtatum,
quæ nonniſi aquilinâ toleratur pupillâ,
cæteras connivere cogit:
Obumbrare non potes, quin illuſtreris.
Quæ adversùs pondera ſurgis, ſub Majeſtate ne fatiſcas;
Ramorum pande brachia, optatiſsima amoris præda in caſſes ruit;
Pande tamen Tuæ Deboræ Palma verticem,
quam ambit Palma, contrahe Majeſtatem, vt ambiat
Sapientiſsima Poloniæ Debora
SERENISSIMA ELEONORA.
Palmares Aquila Polona Regalium nidulos Aquilarũ
repetit, quam ſequeris.
Corve, tuo è Palma cede nidulô Regalibus Aquilis:
qui tuo CRAS hucuſque
expectationem fallebas,
quam meritus, ne tuo CRAS gratioſiſſimorum Hoſpitum vaticineris
diſceſſum, in pœnam tace.

Vos verò
SERENISSIMI NEO-SPONSI,
ſub Palma dum quieſcitis, vetuſtiſſimarũ in Delo Palmarũ vitam vivite feliciſſimè,
& in hoc Palmarum nidulo novi Phœnices
durate diutiſſimè,
& ſicut Palma dies multiplicate.

MONS CLARVS MONS HORTORVM,
SERENISSIMIS NEO-SPONSIS
Coronam.

Ad suas inuitat Hymenæus Coronas.
Sponsi Reges,
Summos summa Capita acclinate vertices:
In duobus Capitibus, vnum Cor, vnus coronatur animus.
Sed peregrina & aliena non petit Hymenæus Vester decora,
Qui non emendicatô sed propriô semper
Virtutum nitere voluit corollariô.
Blandiatur sibi
Abortiuum imperialis thori, vileque mancipium,
Caliginosâ ad modum Solis & Lunæ Coronâ, Caligula!
Monstrum sub purpura tam nobiles Coronæ
Coronare non ornare potuerunt,
Quod ignobilis vita & depravati dedecorarunt mores.
E cælo datum, cæli Te coronant sidera:
Non potest esse inconstantiæ sed claritatis insigne Luna, quâ Tuum coronavit in perpetuas olim æternitates fulsurũ Caput, Constantia.
Nondum Rex inauguratus,
Rex natus & coronatus videbaris, in perfecto Regalium Virtutum decore
Nouus Salomon
Quô Te coronauit Mater Tua;
Te reuenter nomino,
Ter Augusta, & in paucis felicissima Matrum Niobe
Illustrissima Princeps
GRISELDIS CONSTANTIA:
Quidquid magnarum Virtutum erat, coronando Filio, futuro Regi, in Coronam Solido illigasti nexu,
In cuius fragrantia
Incrementum Religio, salutem Patria, subditi clementiam, afflicti solatium, egeni liberalitatem, & Virtutes odoratæ, suam suauitatẽ sensêre;

Vt non

Vt non semel, æternitatem Virtutum anteuertens meritò,
ac iterum ornatus viuat,
Verùm
Rex in æternum viuat
Coronatus.
Laborâsti in Coronis adornandis Filio
Mater Coronati Regis,
In quo simul coronata viveres & triumphares.
Et Tibi hæc debentur decora
SERENISSIMA REGINA,
Calcando montē, sublimia Majestatis ascendis theatra
ipsis coronanda sideribus;
Sponsus est qui coronat
Lunâ Dianam suam
Dignâ sub MARIANIS geri pedibus,
digna perenniter fulsurum honoris radijs in Polonia
Tuum redimire Caput.
Nil terræ nisi favorem debeas, quam Polonum cingit cœlum.
Ad Coronam, cum Corona venit,
sed non more sponsarum Angliæ cum spinea.
Apage cum tua corona Cleopatra, quâ tuum coronâ privasti Antonium!
In vitali florum fragrantia odoratus mortem,
dum invitatus Coronas haurit, invitus vomit animam.
Ex Austria, Astræa suas Tibi Coronas vehit,
Delicium Poloniæ
LECTISSIME SPONSE
SERENISSIME REX;
ELEONORA MARIA virtutum floribus
(instar Parij) Mare fluens
Corona Tibi fiet,
cùm Sapientis oraculo:
Mulier digna corona est Viro suo.

Ancillarentur hîc Vobis magna Veterum Numina,
Sapientiæ, Florum, & Hortorum Deæ Præsides,
Sapientiæ debitas, Fortitudini meritas nectendo lauros
Si in Vestro Augustissimo Gynecæo
Amplissimæ domesticæ virtutes, Vestrarum Maiestatum
adornando non famularentur Hymenæo,
Influunt ad perennem Florum virorem & fragrantiá Koributhea sidera,
ne defluat;
Nec minùs liberale cœlum benigno respergit gratiarum rore.
Languent enim & marcescunt cũ summis Capitibus coronæ Regum,
nisi rigentur desuper.
Novimus Regem suâ vulneratum coronâ,
Spinas tollimus, dum inter Nuptiales applausus,
Rosas, non sub Rosa, loquimur.
Corda in Coronam cedent.
Calcate, non premetis! cùm votum nostrum sit votum Persei:
Quicquid calcaueritis Rosa fiat.
Diviniora Vobis debentur Pancarpia,
Divinos Regum flores dabit
HORTVS CONCLVSVS,
In quo,
Non Hesperidum, nec Semiramidis nobilia ignobilis luxûs ac fastûs
simulacra, sed virentia vernantis animi pandimus florilegia.
Meretur hoc,
quanquam ab immeritis, aliquid pompæ adijcere,
Et Tua, SERENISSIME REX, Tuisq; congenita Maioribus,
in nos deriuata liberalitas,
Et Tua, SERENISSIMA REGINA, Domûs Austriacæ beneficentia.
Habet, semper habitura flores gratitudo nostra, quib⁹ suos coronet Fontes
ad Varronis monitum:
Quisquis fontem hauris, fontem corona.
Ideò namq; primi surculi & florum rigantur germina,
vt in gratitudinis coronam surgant.
Agimus, si tamen qui tantùm loquitur agit aliquid,
& cùm Coronata sublimiaq; non possumus coronare Capita,
flores ante Maiestatem spargimus
scientes, quòd licet ad pedes cadant, suum tamen coronabunt verticem,
cùm in nunquam desituræ æternitatis desinent Coronam:
Corona enim non est, si finem repereris.

Non folia ventis ludibria, vel marcidos in Coronam aptamus flores,
sed corda nectimus in vittam & vitam Regibus.
*Regum vittas licet Gordio liges nexu,
nisi cordibus ornes & solides, nec ornare quin defluant;
nec durare possunt, quin resolvantur etiã sine Alexandri gladio.*
Respergant sua, aureo pulvere, in terreum abitura pulverem
Salomonis Heroés capita, ad suum splendorem,
Solis exspectabunt radios, donec solis occasus, in occasum
splendida inclinet capita:
KORIBVTHEA sidera omni sereniora sole, etiam in aliena nocte,
suum lucescent habitura splendorem;
sive aurea, Sapientiæ fulgentia radijs, ornent KORIBVTHORVM Capita,
sive ipsa ornentur ab illis.
Vanus est unius diei splendor, qui nonnisi ad humanæ ostentationis diem clarescit.
KORIBVTHORVM augusta Capita ita cum Gentilibus fulgent sideribus,
vt dubites meritò, sideribusné ornentur Capita, an ipsa
Coronatis Capitibus illustrentur sidera?
In hac nostra Corona, flores
sicut non pertingent, ita nec pertinent ad Vestrum Caput
AVGVSTISSIMI NEO-SPONSI:
Est exile quod porrigimus; sed Augustas Regum Maiestates semper liberales, & parvis addere maiestatem novimus.
Corona nostra contemni merita,
sicut alia quæq; minima, dum siue sub Regum pedibus, siue in manibus gestatur, à majestatibus Regum gravitatẽ derivant & gratiã.
Et floridus Athos, & vernans Parnassus, & Ida,
vel quicunque, seu Zephyri cum Flora, seu Herculis cum Pyrene,
cæterorumq; Deorum gaudendo connubijs,
superba in altum levatis cacumina
Claro assurgite Monti,
Cuius flores, dum Sponsos coronare satagunt, coronantur.
Ergò assurgite
antequam inaugurati Regnorum,
Coronati Virtutum Reges,
domaturi hostes, dominaturi nobis,
æternùm victuri, nostros annos vivite, & perennate;
talium votorum Coronam imponimus, non
coronidem.

MONS CLARVS MONS VENÆ AVREÆ, SERENISSIMIS NEO-SPONSIS Aureum Annulum.

HAstiludia amoris sunt;
Pro annulo certatur.
Dum hîc luditur, nemo illudi cogitet,
Cùm æqualiter quemq; inclinata, pennis suis attollat victoria:
Solus hic liuor victus premitur, qui certamen recusat.
Pro tam pretioso nobilitatis insigni, quo quisque velit stratagemate,
Certet pro Annulo;
Regibus cum regno datur.
Hôc Te sibi Sarmatia desponsauit Annulô
SERENISSIME NEO-SPONSE
dum ad manus Tuas regendum Orbem Polonum dedit:
Qualis fuerit non quæritur; fecisti aureum,
quando aureum diadema Regni, aureo Capitis Tui decorâsti fulgore,
Docuisti, *non terrarum pretiosis visceribus, sed aureâ Principum Sapientiâ & virtutibus, aurea posse & debere fieri secula.*
Ad huius decorem Annuli
pretiosum adamantem induisti cum purpura,
& ad munimen Poloniæ, pectus omni adamante durius.
Hîc solida eminet ac emicat,
Omnibus maior ac sublimior periculis
Fortitudo & Constantia,
ad propagandam & propugnandam
Religionis integritatem, latitudinem terrarum, intemeratam
legum obseruantiam, publicam Patriæ securitatem,
cupitam subditorum pacem.
Ex quo
Purpuram, Coronam, & Sceptrum assumpsisti,
Simul omnium respondens votis, vnus omnium induisti
titulos, quos in hoc
Tibi cælum consignauit Annulo;
Vt postquam vel è vita, vel elabili cum titulis, hominum
cessêre

cesſêre memoriâ; occupato throno,
quas vnquam
Siue in Romanis, ſiue in Polonis ſolijs adorauit Orbis,
ſimul occupares virtutes & titulos,
& audires,
cum Auguſto Pacificus, cum Nerua optimus, cum Traiano beneuolentiſsimus, cum Tito amor & deliciæ generis humani, cum Piaſto feliciſsimus, cum Ziemiouito clementiſsimus,
cum Boleſlao fortiſsimus;
& cùm omnium ſuperâſti Vota,
Omnium in vno fieres Regum Epitome

Pater Patriæ:

Hoc nomine Liberi & Liberales in ſuos Reges, incluſum dant Poloni, quidquid ad amoris augem ſpectare videtur.
Ad Tui ſplendorem, æternam ſtabilitatem, & vnionem Annuli, accedit pretium ſupra pretium
Imperatorum Germen, Mulierum Gemma, Auſtriæ Delicium
LECTISSIMA SPONSA
ELEONORA MARIA IOSEPHA
Vngariæ & Bohemiæ Princeps, ac Archidux Auſtriæ,
pluſquam Parquaia ſexaginta elegantiarum Gemma
vna omnes virtutum complexa venuſtates,
quæ vnquam in Domûs Auſtriacæ glorioſis reſplenduêre ſolijs;
quâ non digitum, ſed cor Tuum corones.
Includit Vos Polonia, Regius non excludit Annulus,
Vniuerſos æquè complectitur ac ſingulos,
quicunq; per fœcundos KORIBVTHEORVM ſiderum deſcenditis influxus
Illuſtriſsimi Principes, Inclytiſsimi Palatinidæ;
Vel
quicunq; adamantina, Spartis æmula, pectora opponitis, Munimen Patriæ, ſuum ornatura & defenſura Annulum.
Hic Vobis Annulus,
cum adamantibus ſeu amantibus Polonorum pectoribus datus eſt:
Hunc in manu vertitis & regitis,
Vtinam regatis ſemper

 POTEN-

POTENTISSIMI REGES!

ad cujus Ornamentum frustra aliunde pretiosos peteret lapides Polonia,

quæ, cum Grachorum Matre, in prole tam nobili totum ponit pretium.

Si Annulus Polonus Orbis,

Gemma Mons Clarus esto;

tenes non à mari, sed à MARIA pretium & omni æstimatione, maiorem æstimationem:

quem non posse lædi,

Suecorum incendia, duri fædifragorum Maiestatibus Regijs Mallei,

Adamantem probârunt, nec ictu nec igne.

Talem Te sibi gratulatur Polonia,

SERENISSIMA REGINA,

quæ, in regijs Egmildis Reginæ cunis prodigiosi annuli excederes elogia:

MaterRegum, FiliaRegum, ReginaRegum

talis non irrito nomine, sed fausto

decanteris omine.

Virtutum series nunquam habitura finem annulus est,

quem siue ipsa ambit æternitas, siue ipse æternam spectet meritorum gloriam,

non in finem, sed semper in æternitatem desinit.

Annulô summos obtineri & regi principatus,

Cum Gyge Midas docuit;

ET

SERENISSIMVS REX MICHAEL

docet hodie.

Aurearum virtutum imensos deportantib⁹ thesauros

aureas Montis Clari aperimus venas;

ad perpetuum gratitudinis tributum,

è Cordiũ fodinis, damus annulũ perenni gratiarũ revolutione constanté

Vivetis perennaturi in animis.

Potio

Potior namq́, & diuturnior semper censetur Regum vita in Subditorum affectibus viuere.
Paruas alij in annulis moliantur, & cum Heliogabalo quotidiana annulorum in manibus mutatione æternitates volvant,
vel cum Annibalę ad Cannas mensurent modiis;
quam mente elabi patiuntur, non merentur.
VESTRÆ,
Annulus CAROLI V. non metiatur vitæ spatium,
(quod sicut dedistis Poloniæ felicissimum, date diutissimum.)
Intersecet annos, horas; sed vitæ spatia non dividat,
& secundis Poloniæ parendo votis, vitam semper
suis Regibus secundam sonet.
Sint Cæpioni cum Druso annuli odiorum seminaria;
Nobis sunt felicitatis & amoris arrha.
Estò quondam Adriano fatalis erat lapsus annuli;
qui in manu æternùm geritis & vertitis
speratam Poloniæ fortunam,
temporis ac æternitatis Reges & arbitri,
Vobis fortunatus erit, spe non dubiâ,
qui vota Poloniæ, quæ magnæ spes vix æquare posse videbantur,
superâstis.
Vota vicistis omniũ, vltimũ primæ & vltimæ felicitatis votum non vincitę
Ingressi Orbem Polonum,
vt in Annulo nunquam, nec vitæ, nec fortunæ, nec amoris
Subditorum inveniatis terminum.
Arctus est,
quem nec ipsa, morituris annulos detrahere solita,
infesta solvat Atropos,
quem Cœlum inseruit,
Vt in cognato annis Annulo
Annos Platonicos vivatis.

MONS CLARVS MONS CVM ARA,

SERENISSIMIS NEO-SPONSIS,

Nuptiales ſacrat victimas.

AVſpicijs Cœli ſacra res agitur,
terra profanare cave!
Publica Vobis repanditur cum affectibus Ara,
dum publicæ felicitatis Poloniæ adeſtis ſacraturi victimas.
ſublimē ſubmittit Vobis verticē Olymp⁹ Græcorū ac Macedonū gloria,
Auguſto Mauſolæo, & arâ Fidei coronatâ celebris,
vbi in MARIANIS Clari Montis anguſtijs, auguſtas Regum Maieſtates
videt contrahi, & ad ſanctioris aram Fidei, cum Regalibus
acceſsiſſe votis.
Vſq; eò ſe demittit, amica Regum dignatio, vt ſuæ Majeſtati non intēdat,
dum Pietas & Religio ad Aras vocat.
Et Orbis eſt, Poloni præcipuè, felicitatis Ara,
quam tenetis
Vſque ad Aras Amici MARIANI,
Diviniſsimam Dianam Nuptialibus placaturi muneribus,
quæ non de Corde datis, dum ipſa ſacratis Corda,

Ipſi, Reges, Sacerdotes, & Victimæ.

Et bene huc Regum concurrunt vota, vbi victorijs coronatæ,
pro Regijs Majeſtatibus ceciderunt victimæ;
dum hoſtilis omnia verteret & verreret mucro,
qui cùm domare videbatur & dominari Libertati Polonæ,
ſervivit gloriæ; dum Tyrannis acueret gladios,
quos cum ſuo damno in glorioſis hebetaret
Victimis.
Vbiq; erectas habet Aras Polonia, quæ ſicut Pietatem,
ita ſuos Reges ubique colit,
& ipſa facta quondam publica crudelitatis ara,
in qua
Martis pugnæ, Mortis victoriæ, Religionis ſternuntur victimæ;
Non ætati parcitur, non generi:
pro incolumitate Regia, publica ſecuritate, Patriæ Libertate,
non cedunt, dum cæduntur, Nobiles Victimæ,
invictæ tamen.

Vertit in Orbe Polono quadrata rotundis, inimica manus,
vt Circum, triumphatura immortalis haberet gloria.
Fortè tunc Polonus libertatem amiſit, quando vitia
dominari cæperunt:
At nova ſemper, Virtus auita KORIBVTHORVM ſuſcitabat miracula,
qui ut inemptam libertatem redimerent,
unicum Poloniæ pretium,
contemptas prodegêre animas,
pro pace publica in Pacificas ſeſe offerendo Victimas:
dumque per arma propriam quærunt mortem,
inventam in armis ac ereptam,
glorioſi Hectores, Patriæ, reportârunt vitam;
vt Polonia, quibus antiquiſsima Regni Regumque debet cunabula,
ijſdem ſuæ felicitatis continuationem tribuat.

In tantis Heroibus

cùm nihil ſit non laudatiſſimum, unum fortè reprehendes,
quòd occaſiones periculis gravidas, & mortem contemnerent;
quorum illæ, glorioſas peperêre victorias,
hæc in morte, immortalibus januam triumphis aperuit:
attamen neque contempſiſſe, nec odiſſe dicas, quod amârunt.

Nil inauſum reliquit Martis audacia:

quod fortitudinis inuictæ robur ubiq;, porbaturus, quæſiuit,
hîc ad MARIANAS inuenit Aras,
ſuas,
ſi Matris vitæ fata tuliſſent,
ſub Religioſo ſago habiturus victimas.
Fidelitatem, tùm erga MARIANVM honorem, tum erga Reges
Sereniſſimos,
quam videre voluit, probatam accepit.
Ipſi ruptores fœderum, fidelitatem improbis comprobatam
accepêre laboribus,
& ad Aram, velut ad Lydium probaticum lapidem,
dum explorant, experiuntur ſuo malo.
Arctauit clauſtra, liber meditans victorias vagabatur animus;
ignes accendit, in quibus & aliena victoriarum trophæa
& ſuam ſpectaret ignominiam:
grandes baliſtæ dum reboant,

ipſe malè audiendo, alienæ Famam fidelitatis,
per Orbem vehendo,
in Vrbe mundi principe Roma
ſanctiſſimas PONTIFICVM vellicavit aures.
Quidquid durum ſeu videri, ſeu credi potuit, dum pertentatur, ſuperatũ;
quidquid lacertoſis grave ac formidoloſum Atlantibus,
robuſtiſsimis militaris patientiæ toleratum brachiis.
Omnem movere lapidem, quem in ſuam perniciem revolutum,
rebellium ſentirent capita.
Quidquid adverſa fortuna violenter obtruſit, adverſo repreſsũ pectore.
Summa votorum erat, ad Aram VIRGINIS occumbere,
quod negatum:
Tyrannis Amoris erat, cupitis non poſſe potiri votis,
& fidelitatem erga DEVM, MARIANVM honorem, Regum Polonorũ
Majeſtates, & Patriam,
æternitati, vel ipſo ſanguine conſignare non poſſe.
Non crudelitatis ſed Amoris, Veſter glorioſus, MARIANAS accendit
ſacris ignibus Aras Hymenæus,

SERENISSIMI SPONSI REGES.

Pro fidelitatis & ſubjectionis noſtræ Arra
Corda in Aram ponimus,
Non vanam & infamem, Ægyptiorũ nobilitatis aucupando famam,
qui argenteos, ipſi, carnifices & victimæ, in cultros irruunt,
acclamatione feſtiva gratulando vitam Regibus:

Morimur ut vivas.

Quomodo mortis mancipia, vitam dare poterãt, quam perdiderunt?
Mortem non permittitis, dum ſub Veſtra protectione,
Nos in Nobis, pro Vobis vivere jubetis.

Vivimus, ut vivatis:

quoniam novimus, quòd *vita Regum ſemper ſecurior, dum viuis
& generoſiſsimis munitur in Sago pectoribus,
quàm cùm hoſtium in ſarcophago vallatur cadaueribus.*
Regibus favent ſuperi, profana faveant,
dum ad Aram, ſive Lunæ, ſive Dianæ, ſive Fortunæ,
cæterorumque, Sponſis ad venerationem, Numinum,
nuptialia ferunt libamina.
MARIANO tamen deſtinata honori
dum ponitis ad Aram Corda,

ſine

sine Corde Reges non eritis,
subditorum in Vos migrabunt Corda;
in favillam non desinent, quæ tanto cœlis sunt in pretio,
vt non profanis, sed illius vstulentur flammulis, qui
Ignis consumens est.
Ignescite ex Amoris MARIANI non busto, sed ara,
immortales evolaturi Phœnices.
Ad inferiorem superiorum seculorum gloriam,
Divino, Mariano, & Vestro Honori tuendo & vindicando,
Novi Poloniæ, ad Marianas Sacramentum Aras,
ducunt Annibales.
Liberi Vestri sunt hosti, sicut parere, ita parcere nescij:
Tamen
Pro Aris & Focis, & pro Regibus,
sicut pugnando certi vincere; ita, ut vincant pugnare parati.
Tu cuius auspicijs res agitur,
Sacer Hymenæe, non ad Vestalium ignes, quos
in suo pridem consopitos quæras pulvere,
sed ad MARIANOS; non funalia, sed triumphales accende
tædas, quibus in orbem ituro Regum immortali
præluceas Nomini; sive novam felicitatem & lætitiam
laturus Poloniæ, amica Regijs Majestatibus
Corda accende,
quorum sit natura, accendi semel, ardere semper.
Nos interim festum Epiphonema
Sponsis acclamari solitum sacrificantibus
Feliciter! Prosperè!
ingeminamus.

MONS CLARVS MONS DELICIARVM, SERENISSIMIS NEO-SPONSIS Nuptiale in Nazaræa Mensa Conuiuium.

Ab Ara ad Mensam itur, à sacris non ad profana.
Nazaræa est,
Non humana, ad humanitatē tamen & *Regum delicias*, vel ipsa

Nomenclatura, florida explicat bellaria, ut quibus Divina
desipiunt, hîc sapiat, quod Divina apparavit Humanitas.
Non Oenei Mensa est, Dijs Hospitibus, pretiosis instructa impendiis,
Divina tamen est;
Nutrivit inhumanatum Deum, cum Divinitatis fenore.
Hinc ne mireris,
dum quot miracula, tot oracula, sine voce, Thaumaturgam loquuntur.
Adeste Serenissimi Convivæ!
& Regna sua, & Mensam Vobiscum communicat,
datque epulis accumbere Divûm
M A R I A.
Semper hîc Divinus ludit luxus;
at nunquam parturivit palatis Regum fastidia,
quia, quam semel orexim acuit, sedavit nunquam.
Nemo lautiùs in suo cænat Apolline, quàm qui ad hâc procûbit Mensam,
cui nuper ipse DEVS accubuit.
Accumbite! Non segnis Mater hîc Vobis Gratiarum
pandit Promptuaria,
SERENISSIMI REGES & SPONSI,
ex quibus
Salutem, Fortunã, Pacem, Amorẽ publicũ, perpetuã Regni stabilitatem,
quibus publica Poloniæ nutriatur ac foveatur felicitas,
VESTRÆ PIETATIS & RELIGIONIS præmia depromit,
ubi Vobis sua apponit munera.
Quæ modò Sarmatiæ, tam dulcî, quàm inexspectato bonô satiauit oculos,
& Vos, & in Vobis omniũ satiabit vota, qui omniũ explêstis desideria.
Mensa sicca non est; perenni fluit Gratiarum fonte:
Dulcoris Mater hîc Vobis eliquat ambrosiam,
quos Mensâ, & gratiæ suæ immortali dignatur nectare,
si non Deos, certè Amicos immortales facturo.
Et Neronis Mensæ nauseam pariunt,
pretiosa dum stillant balsama;
cùm Divinitas ad Humanitatem composita, eâ Gratiarum manat
ad Mensam fragrantiâ, cuius
Quasi balsamum non mixtum, odor.
In terra est, sed non terrena sapit:
Nec mirum, tãto Vobis semper, Panem fuisse in pretio Nazarææ Mensæ,
cujus nunc tantis tenemini delicijs,

ut Vobis

ut Vobis insulsũ & insipidũ videatur, quidquid extra hanc Mundus offert.
In terra jam non terrena sapitis.
Terrena in terra sapere nolle, cœlestis est Genij.
Hoc in Te, SERENISSIME REX, videt Polonia, mirantur
Confinia, alienæ obstupescunt Gentes.
Abscondi non potuit, quod teste cælo gestum est.
Omnia humana cùm non curares, unum vel maximè curare videbaris,
ut lateret.
Tot Te viderunt oculi, quot sidera,
Pronâ adoratione prolapsum ad Sacerdotis genua, & obsecrantem
ut equum conscenderet, cùm in via morienti
Vitalem Cibum defert.
Verè Principem, quia in tanta Religione primum, Te vidit
dies ille Principem,
qui exitialis luctibus, natalis erat Poloniæ, ad perpetuæ illucescens
felicitatis diem.
Gradus hic, solis hucusq; ad perpetuitatem imperij patebat Austriacis:
inuentus à Te, cui in Gentilitijs splendoribus KORIBVTHEA,
cum meritis, ad hoc præluxerunt Sidera.
Attonitum spectavit cælum, semel hactenus in terris visum
publicæ pietatis argumentum:
vocavit in dubium, RVDOLPHVM ne in MICHAELE,
an MICHAELEM in RVDOLPHO cerneret?
MICHAELEM tamen vidit in Polonia.
Quod in RVDOLPHO primum suspexit Austria,
Tibi, MAGNE RELIGIONIS PRINCEPS
SERENISSIME MICHAEL REX,
sibiq; secundum in Te gratulatur Polonia.
Gnarus facti, ignarus mysterij,
ubi humili adoratione gestatũ in manibus sacerdotis prosequeris DEVM,
jam tunc & Rudolphianæ benedictioni accipiendæ,
& Regali Coronæ, omni pretiosius Coronâ, submisisti Caput:
dum ad moribundum, Mystam sequeris, illam ad Regiam dignitatem
secutus es VIAM, post quam euntes
Reges regnant & Principes imperant.
Tanti Regis Comitem, Regalia Te comitabantur insignia.
Dum ità procubuisti, feliciter summum dignitatis prensâsti fastigium,
Ceciderat Polonia, Tuo tam sero erigenda casu.

Propria dum negligit, alienum Polonia quærit Herculem;
pro Hercule domesticum Antheum, quem non quæsiuit, inuenit;
qui tam beato lapsu robustior, omnes, qui tantæ moli
supponebant brachia, superavit Atlantes.
Iure ergò in Te triumphat Religio,
qui Principum, novô exemplô fastum debellando,
novo stratagemate Regna parare docuisti.
Credet quicunque legerit, quod in Te vidimus:
Principes, quò arctiùs Maiestatem contrahunt, eò latiùs suæ potestatis metari spatia, vt potè, qui non terris modò, sed & animis suauiter illapsi, dominari queant.
Religione par & merito, nec impar pietatis præmio,
In Polonia, gratulabunda exultet Austria,
quòd quem hactenus æmulum non habuit, inuenit parem;
si nec parem, nec æmulum admittit:
Agnoscet tamen suum in MICHAELE RVDOLPHVM.
Augustiùs claruit splendor Poloniæ,
dum Augustissimus Austriacorum Sanguis, Poloniæ Regibus,
sacro nuptiarum fuit obligatus toro:
Rursus, ubi & sanguis, & par pietas jungitur, Regnorum sequetur stabilitas.
O FELIX POLONIA!
Erecta stabis, in Tui Principis inclinatione relevata;
perennabis solidata, quando hinc KORIBVTHEA,
hinc AVSTRIACA Religione fulciris.
Tui Regni assurgentis vidisti initia; finem non exspecta,
quem non videbis.
Ab Optimo Principe discent boni,
ædificari, collapsa relevari, nutantia solidari, cadentia fulciri,
Regna, Familias, & Solia,
Pietate & Religione.
Hanc perpetui prærogativam imperij, in Nazaræa Mensa legite
SERENISSIMI CONVIVÆ,
ad quam Vos Regni sui ex asse heredes scribit,
Hereditaria Poloniæ Regina
M A R I A.
Apta regali Convivio donat bellaria, Regalia poma.
Ad aurea poma,

Remo-

remove aureos Caligulæ luxus, Senatoribus appositos ciborum missus, ad quos, sola dum satiatur luxuries, inexplebilem orexim relinquit Convivæ cupiditati.

Sponsorum Mensa est; sed non Thetidis & Pelei, ubi & absens inter Deos Discordia malô aureô, odiorum, ad vastitatem Græciæ suscitavit incendia.

Nobilius Pomum Orbis Poloni, tot inter Orbis Pandoras,

Tibi uni datur;

Te elegit Polonia,

Virtutum pulchritudine, morum elegantiâ, formæ venustate decoram, frontis majestate serenam, dignitate throni

SERENISSIMAM ELEONORAM.

Non vnius Paridis, sed Orbis Tibi adscribit judiciũ:

Detur pulcherrima.

Pascant alij, emendicatis à Fortuna crepũdijs, lumina; quæ tandem prædatrices depascant Harpyæ,

Diviniorem Mensam Vobis pandit POLONIA, ad quam Vestra deponitis vota.

Manus porrige Augustissime Cælorum Infans, Divina Divinæ Mensæ Tuæ, Pietatis, Neo-sponsi panchresta ferunt: Rue in amplexus Regum, quos amplecteris, Puelle;

Mamillâ Regum lactaberis, erunt Reges Nutritij Tui, & Reginæ Nutrices Tuæ.

At quoniam,

& inter splendidos Mensarum apparatus, quemque cum Tantalo, estò non ciborum, immortalitatis tamen torquet esuries; immortalium gratiarum alimoniam, Serenissimis Regibus promite, Nazaræa Assessores Divinissimi Mensæ, pro eo quòd

SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS REX

MICHAEL KORIBVT,

vel ipso nomine, lætitiæ plenitudine, Majestatis inclinatæ dignatione, fortunarum spebus, ac vitâ suâ omni dulciore vita,

3 11 12 5 14 4 13 1 2 7 6 8 9 10

Cibat humile Cor.

MONS

MONS CLARVS MONS VOCALIS, SERENISSIMIS NEO-SPONSIS Epithalamium.

PLausus & pæana sonent, ubi arma silent.
Sacra ne turbet mæror, Amor vetat;
Vertumnus est, ac omni mutabilior Protheo,
mille formas induit, unus idemque apparere dum satagit.
Ad Nuptialem Apparatum, ad Aras & Mensas,
ubique Minister, nunc Choraules idem.
Idem qui Musicam & Cantum apud Pythagoram docuit,
ipse Magister, & Discipulus,
non ad lyram profana amentum deliria;
sed amantium vota referens, canit Epithalamium,
Vobis cantat Vestra
LECTISSIMI NEO-SPONSI.
Illa Reges harmoniâ delectari didicit,
ubi sonat affectus, & concordat animus,
ideo corda, non chordas, aptat ut placeat.
Vividus semper erat, rursus novum resumpsit animum,
dum serenissimi Serenitatum Vestrarum radij,
quot jucundo tetigerunt corda verbere,
tot habent Memnonas, qui Vestram in se,
& suam in Vobis, dum fausto AVE salutem
salutant & lætitiam, optant, nefastum
VALE ne audiant.
Vestræ finem nemo formidat lætitiæ, dum in Te quisq; illum hodie
Orientem salutat, qui occasum nescit
SERENISSIME ac POTENTISSIME
MICHAEL,
ad quem,
ut ad Solem, radius; ad Lunam, claritas; ad Stellas, splendor;
suum reflectunt lumen.

Voca-

Vocalem Mons Clarus refundit lætitiam,
quam Regum Hymenæus auget,
non solas Mentes in lætitiam, sed & Montes in plausum
animando.

Nouum agit Orpheum:

Reuocauit ille cantu cytharæ suam ab Inferis Euridicen,
hic Heroicarum Virtutum harmoniâ, ab infima fortuna
POLONIAM.

O ingens magnitudo lætitiæ!

quam si Eloquentiæ cancellis arctare velles, magna non esset.

Hoc est quod fateri debes in Te,
O FORTVNATA POLONIA!

Magnitudinem lætitiæ quemq; faciliùs sentire posse, quàm eloqui.

Ergò venerare silentio, quod humilem excedit facundiam.
Si linguas Mentium interpretes, vincit lætitia;
Montium reddet Echo, Domûs utriusque
fama super æthera notas
Omnibus gratiores Gratijs Heroinas.

Ad immortalis Gloriæ Sedem,
Domum dico Tuam, aurem refero
POTENTISSIME REX MICHAEL.

Tot inter pares, unã super omnes Camillas & Pãdoras
incomparabilem Heroinam, KORIBVTHEæ Domûs Gratiam,
CYMBVRGAM felicissimam
ac fœcundissimam Imperatorio Matrem germine
Orbis audit, novem AVSTRIACORVM Genitricem,
de quibus
FRIDERICVM III. in Imperiali Solio vidit,
ac adorauit Imperium.

Vocalis est ac Immortalis, Virtutum Heroicarum
pedisequa, Domûs KORIBVTHEÆ gloria:
quæ, sicut in Vocali Monte resonat Epithalamia, Tuo famulando Hymenæo,
ita *cantabit donec totum impleat Orbem*;

quæ
vel ipſum ad canendas gratias MARIANVM excitavit Montem;
Quidni Vocales hic ad canendam KORIBVTHORVM immortalem Liberalitatis famam habeat Syrenes,
MARIA Gratiarum Mare,
quam tot pretioſis ſibi obligavit monilibus, &
more Venetorum Principum deſponſauit?
Ita canit, ut maximam ſplendoris partem,
Mons Clarus KORIBVTHIS adſcribat.
Sed Liberalitas, alienæ non indiga laudis,
linguam tacere cogit, ubi res & facta loquuntur.
Quidquid tamen Mons Gratiarum ſonat,
canit Epithalamium Veſtræ, cum æternitate, glorioſæ Virtuti.
Et AVSTRIACAS Polonia, ad Epithalamium excitas audivit Gratias, & nunc in Virtutum concentu, etiam
poſt beatiſſimos audit Manes,
SERENISSIMAS POLONIÆ REGINAS,
ELIZABETHAS, ANNAS,
CONSTANTIAS,
Ac unicam Orbis ſui verè Reginam, quia Matrem,
CÆCILIAM RENATAM
ſemel terris, ſemper cœlis natam,
Montis hujus Pientiſsimam pariter, ac munificentiſſimam PATRONAM:
Quos omnes Domus AVSTRIACAE Ocellos,
in Te una, omnes intuemur, veneramur, ac audimus
SERENISSIMA REGINA
ELEONORA.
Illorum, ſicut Virtutum heres; ita & Purpuræ.
Intuemur in Te
AVGVSTISSIMVM AC INVICTISSIMVM
LEOPOLDVM Primum;
atque vtinam diutiſſimè Secundum,
Te di-

Te dignum tanta ac tali SORORE,
GERMANVM FRATREM.
Vocales Montis Clari Gratiæ,
quantùm olim mæroris hauserunt, dum ad obitum
INVICTISSIMI FERDINANDI III.
PATRIS VESTRI,
universâ Europâ tristibus resonante næniјs,
incusando immite fatum, ipsæ Præficas agere coactæ;
tantùm accessit lætitiæ, dum post tetra mæroris Nubila,
antehac Romanis atra, Christianitati candidissima,
Anni 1658. 18. Iulij illuxit dies,
quo Te Imperatorem renunciatum, Solem Austriacum salutavit Orbis,
& in Imperialibus decorum vidit Insignibus: à Tuo Solio Sol ipse
suum mutuavit splendorem, dum prima, verè secundâ
Augusti Anni eiusdem die,
Te sicut Invictissimum, ita Augustiss: Coronatũ vidit.
Et quia
Principes salutem, Felicitatem, lætitiam, victorias, Triumphos, & quidquid sublime ad dignitatis amplitudinem spectat, omnibus volunt esse commune;
& hæc Tua communis nobis erat lætitia, dum ad Electionem Tuam
Europa festos triumphos ageret.
Quæ tristibus vacabant næniјs, ad plausum excitatæ
Claro-Montanæ sonârunt Oreades.
Et nunc non soli Apostolici Colles immensarũ gratiarũ actione resonât,
sed & Mons Clarus; dum Ordinis nostri, Tui veriùs, quia Tibi
devotissimi, Fr. MARTINVM BORKOWICH bis Generalem
ad Zagrabienses ab Eremo protractum Infulas decorâsti,
in uno Capite totum coronando Ordinem.
Te sonat Paulina Eremus
PATRONVM, PROTECTOREM, & PROMOTOREM
INVICTISSIME LEOPOLDE.
Imperiales Tuæ Aquilæ, quasi perosæ in humilibus resonare vallibus,
& ad septicollis Vrbis mænia allidunt Tuæ in Ordinem nostrum
Liberalitatis Echo, dum Te in noua Romana fundatione
Promotorem zelosissimum, ac Benefactorem munificentissimum
Proto-Eremiticæ recognoscunt Gratiæ.

Ex quo,
quantùm Tibi Domuique Austriacæ, obligatus Proto-Eremiticus Ordo, agnoscis

SERENISSIMA ELEONORA.

Deserta Paulinæ Eremi, nunquam ita diserta sonârunt, ac Vestris vtrinque; hinc KORIBVTHEIS, inde AVSTRIACIS animata favoribus.
Cantamus Vitam, Salutem, & Felicitatem perennem, Vestræ immortalis Gloriæ Epithalamium.
Et quoniam
vnus eloqui non potest, quod omnes concipiunt,
taciti Nuptialia dona, vota sola ferimꝰ; dū nostro obruti bono premimur. Cùm auxistis affectûs debitum, verborū abstulistis copiam; non votorū.
Vivite Felicissimi!
Et si æmulos Virtutis habere non potestis, nec invidos Potestatis habete. Assurgite! inclinamus animos, mentes in Soliū erigimus, corda in æternæ subjectionis damus Obsides.
Vivite Gratiosissimi!
& quam attulistis lætitiam, animis non auferte, in qua suavitatem sentire licuit, non satietatem; quamvis in alijs
finitima est suavitati satietas.
At spernitis Eloquentiæ fucos:
Oratores admittite; sed prostratos.
Candidarum Mentium, qui colores amatis,
Vivite! Olores canent, qui Nomen Vestrum
Cantando sublimè ferent.

MONS CLARVS A PRINCIPIBVS IN POLONIA VIRIS, DICTVS MONS VICTORIÆ, SERENISSIMIS NEO-SPONSIS Victorias.

ET Pax sine pugna molitur Victorias, dum animos, non hostes in triumpho ducit.
Tales Victorias, alij per arma quærunt; auro mercantur alij;
vel à

vel à fortuna exſpectant: Vobis natura liberalior
indulſit, vt domi naſcatur, quod ab alijs foris quæritur,
SERENISSIMI CONVIVÆ.
Et animos & hoſtes vincere, KORIBVTHORVM eſt.
Ex vtroque Achillem Te ſibi congratulatur Sarmatia

SERENISSIME REX

MICHAEL,

Cujus auguſta frontis Majeſtas ſpectari non poteſt,
quin & metuatur, & diligatur.
Quot in Te rapuiſti Oculos, tot Victos trahis.
Scilicet, hoc eſt Domûs Tuæ privilegium,
Omnes, nonniſi ad Victorias, & omnia ſumma, naſci.
Quotquot Fedorios, Daſcones, Demetrios, Sigiſmundos, Conſtantinos,
Alexandros numerat Polonia: ex quibus Duces Lithuaniæ, Novogrodi, Severiæ; Reges Bohemiæ; Principes Volhiniæ,
ad æmulationem priſci ſeculi: tot Curtios,
tot Agamemnones,
qui ſuo periculo, ſecuritatis Polonæ pacem, & fortitudinis ſuæ infractum robur, in ſummo dignitatis collocavêre faſtigio,
quò nec ipſa Fortunatorum Antagoniſta
pertingat Invidia.
Quotquot Duces VISNIOVIECIOS recenſet, ex Origine Ducum
Lithuaniæ; tot Patriæ Libertatis Vindices,
quam
ſeu labefactatam erexerunt, ſeu nutantem ſtabiliverunt,
vel ereptam redemerunt integritatem; proprio,
quàm gloriosè conſignauerunt ſanguine.
Tacere Te non debeo, Duces inter VISNIOVIECIOS,
Victorioſiſſimum Heroém, HIEREMIA KORIBVTH,
SERENISSIMI Regis Noſtri Strenuiſſime pariter
ac Illuſtriſſime PARENS,
quem immortalibus proſequendo gratijs, Vltorem,
ac Vindicem Sarmatiæ, Coſacorum Flagellum,
Abazæ Domitorem, pleno decantat ore
Polonia.
Martem Polonum Te, ad pugnæ Bereſtenſis aciem,
Superi cùm quot paſſus, tot victorias numerantem cernerent,

quem imitari non poterant, mirabantur.
Vbique vitæ liberalis, semel parcus;
qui per ipsa gradiendo pericula, mille quærebat mortes:
vnâ contentus occubuit.
Vnicum in ipso curiosa observavit posteritas,
quod letale formidaret jaculum.
Sitnè hoc laudabile, vel inglorium? Arbiter esto.
Nimirum cadere metuebat,
ne cum illo, ingens ingentium laborum capax animus,
& tunc ancilla Poloniæ, sepulchrali ruina tumularetur Fortuna.
Hinc Verum esto,
Laudatissimum Heroëm, jam plenum Victorijs, triumphis,
& meritis; tamen mori timuisse, ne præcox nimiùm
Herois Invictissimi, non minùs ac Fortunatissimi
mors, votorum sæpiùs moriendi pro Patria
non scinderet seriem, dum pluries
non licet mori.
Prostratus cecidit, ita tamen ut surgeret;
omni casu, periculis, morte ipsa superior, ac ubiq; Victor
VISNIOVIECIVS:
surrexit, emeritos Poloniæ Heroës meritis, fortitudine, & fortuna, militaris rei experientiâ, Liberalitate, Clementia, Religione,
alijsque Virtutibus supergressus;
Felicissimus, quòd Heroicæ fortitudinis & meritorum
succedaneum, ad invidiam Græciæ, Alexandrum
reliquerit.
Hanc gloriam, nemo dicit, non esse Tuam
POTENTISSIME REX
MICHAEL,
qui
retrocedentium Regum Polonorum, sanguine tingebas, attingebasq;
Purpuram; sicut Regalium in Illustrissimo Tuo PARENTE
Virtutum, ita & meritæ heres Purpuræ.
Iam pridem Tibi,
dum sub Iove frigidissimo, contra Moschos & Cosacos, cõtra Seremetũ,
robũstâ tolerares diligentiâ Heroicos labores,
promittebat indoles, apparabant Superi, offerebant merita,
Virtutum Regalium decernebant Comitia,
Regum

Regum Paludamenta, talares Victorum Purpuras,
ac triumphorum Trabeas.
Tantum Poloniæ bonum differri potuit, non auferri;
quod tam prouida Superûm Poloniæ ſeruabatur curâ.
Heres es Virtutis & laboris, eſto Honoris & Gloriæ,
quæ laborem & Virtutem individuo paſſu comitatur.
In Te videmus, impleri paræmiam:
Soror eſt laboris gloria; vt ſpinæ roſa.
Sicut Polonæ, ita Auſtriacæ,
Non imbellem progenerant Aquilæ columbam.
Bene ſtabilitam Imperij Majeſtatem, & AVSTRIACI
ab inclytiſſimis ordiuntur victorijs.
Victoria RVDOLPHI fuit in Auguſtiſsimum Altaris Sacramentum,
Victas Religioni manus dare;
quâ meritum imperium aliquoties interruptum,
conſtanti ſucceſsione Heredum, gubernavit Albertus II,
Fridericus IV, Maximilianus I, Carolus V,
Ferdinandus I, Maximilianus II, Rudolphus II,
Matthias, Ferdinandus II, Ferdinandus III;
in vno quoque
Iuſtitia, Fortitudo, Pietas triumphat,
ac in AVGVSTISSIMO & INVICTISSIMO
LEOPOLDO,
qui moliri Victorias, debellare hoſtes, colligere manubias,
erigere trophæa docet:
Conſilio & Induſtria.
Vnum Auſtriacæ Fortitudinis Epitome Carolus V,
cuius victorioſa trophæa tota veneratur Europa,
Fortitudinis & Victoriarum præcones, Famam & Virtutem,
Imperialis Auſtriacorum Gloriæ prodromos
trans ultimam tranſmiſit Tulen.
Per totam Europam
Pugnatum fortiſſimè, glorioſiſſimè triumphatum,
Hiſpaniam tumultuantem compeſcuit, rebelles in ordinem
redegit Belgas.
Euagatur latiùs, cui *vnus non ſufficit Orbis.*
Poſt fœderatum ſibi in Italia Mediolanenſium Ducatum,

post assertos Romanos, Florentinos, Senenses, Genuenses,
quasi tam augustis, ingens Europa, Victorijs angusta foret,
in Africam ducit Colonias;
ubi barbaris Gentibus & Legem & Regem dedit.
Hæc perpetua Honoris Tui alimonia est,
Gloria Majorum Tuorum,
SERENISSIMA ELEONORA,
quam ad Regni felicitatem & Victorias, communem Tecum fecisti POLONIAE.
Verum est, quòd
Non ita armis, sicut Pietate paratur Victoria.
Hoc utrinq; tam KORIBVTHI, quàm AVSTRIACI docuerunt,
dum vincere seipsum, omnium Victoriarum primam, Religione
in seipsos pugnando, asseruerunt.
Quibus toto triumphatis ac triumphabitis Orbe,
jungitis Victorias
SERENISSIMI NEO-SPONSI,
dum Manus sacro Matrimoniali nexu vincitis:
utinam, & Armatas jungendo Manus,
Hostes armis, Cives animis, Corvos annis vincatis!
Ad Victorias Tibi,
Victoriarum præsaga Gentilitia prælucent Sidera,
præludit Magnum Nomen,
INVICTISSIME REX,
MICHAEL Quis vt DEVS?
Nec mirum, quòd vel ipso Nomine magnas mediteris Victorias?
cui non novum somniare Coronas, & Imperia.
Tuo *Quis vt DEVS* se munit Nomine,
CHRistianitatis antemurale POLONIA,
dum Turcis, Moschovitis, Tartaris, plusquam barbaris, ac alijs
qui desciverunt ab Orthodoxæ Vnitate Fidei, irruptiones
præpedit, grandioribus onusta spebus,
quòd Iulij Cæsaris in Te audiet:
Veni, Vidi, Vici.

Sacrati-

Sacratioris Bellona Militiæ Diva Armipotens
MARIA
Protectionis suæ Vobis aperit Armamentaria,
ipsa Princeps, ipsa Fortuna, omni Fortunâ felicior,
ipsa Victoria.
Arripite Clypeum Principes,
MARIANAM in hoc Monte, Tutamen Vestrum, Tabulam:
Nec deterreat Vos pugnæ periculum, quos non dubij
spes alit Triumphi, & Athletas ungit
Oleum effusum Nomen.
Ergo Adamantina Sarmatiæ Pectora, ad Victorias nati
Heroes, simul arma jungite, quorum Nomen jam olim
& Romanorum Orbis universi Civium,
animos exanimavit, exarmavit manus.
Vestræ Famæ gloria Orbem pervagata, ad triumphos prævivit.
Quod per aures Nationum sonuit:
Polonos priùs Martem, quàm Matrem nosse,
probate dextro Marte, robustâ manu,
qui pro Victoria non linguâ sed armis
certare paratis.
Videat Orbis, alios longo rei Militaris experimento,
Heroës fieri; Polonos nasci.
Fiet Mors gloriosa Generositatis præmium;
cùm post Campum Martium dabit Elysium,
quæ Vobiscum & pro Vobis pugnat
Vt Castrorum & Astrorum acies ordinata.
Huc prælucent Tua Gentilitia Sidera,
REX POTENTISSIME.
Magnû Nomen, par ingēti animo, suo vocat Oraculo,
dum pandit
SERENISSIMVS ac POTENTISSIMVS REX
MICHAEL KORIBVT,
arcanas curas, quas vel in ipso volvit Nomine,
14 13 10 8 5 4 2 3 1 9 12 11 7 6
Turca hic mobile.

MONS CLARVS MONS VISIONIS, SERENISSIMIS NEO-SPONSIS ET POLONIÆ, prævisas felicitates.

NOn ad Palatinum cum Romulo, sed ad
MARIANVM Montem movemus gradum.
Non Delphicas ad Oracula Cortinas removet,
sed Divinæ Providentiæ, Mons Clarus, theatra pandit.
Huc ades ô Polonia!
In Regum Tuorum Majestate Tuam sublimitatem agnosce.
Nemo dubitet Te in hoc Monte propinquiorem Cœlo,
ubi sicut plenior; ità gratior Siderum influxus.
Ab Alitibus Iovis armigeris, non à vulturib⁹ cũ Romulo auguria capies;
non fulmina; sed pacificas ferunt Oleas: quales olim
VISNIOVIECII eximijs decoratas meritis
tulerunt POLONIAE.
Exilis Nobilitatis est census, emptas splendoris circumferre lacinias,
& nihil propria Virtutis debere merito;
VISNIOVIECIORVM dos est, Heroæ omnia Virtuti tribuere,
Fortunæ nihil, nisi Imperium:
quam ubique sibi servire coëgerunt; alibi Dominam, hîc servam.
Subticuit suũ Phaëtontẽ Parnassus, quo nõnisi Poëtarũ illustravit ingenia.
Quotquot Demetrios, Constantinos, Ianusios, & alios Duces in Visniowiec & Zbaraz numerat Polonia; tot suos veneratur Phaëtontes;
qui Fortitudine, Victorijs, trophæis, triumphis, totam
illustrârunt Europam,
non à Sole, sed ab Ottomanica Luna, splendore; dum inter cruentas
clades Turcarum ac Scytharum ereptam Lunam,
in suis collocârunt Insignibus.
Quot VISNIOVIECIOS, tot Alcidas numeres.
Tui sunt splendores, quia Tui Illustrissimi pretia Sanguinis
POTENTISSIME REX MICHAEL.
Et Filijs, altiores ad dignitatem gradus, Parentum sternunt merita,
in quos, dum suos ingentes transfundunt spiritus, tunc
rursus novi Soles, post suum occasum redivivi surgunt.
Tuarum sunt Victoriarum præludia, Triumphorum omina,
cùm ante pugnas, super Sidera triumphales Tibi eriguntur Colossi.

Debel-

Debellauit Constantinus Maxentium,
Cœlum victori triumphale vexillum, Crucem figit:
prostravit Byzantios, geminat cœlum; & parem victoriæ pyramidem
Trans Istrum profligando Scythas, captivam in triumpho
ducit victoriam, tertiam Crucem erigit.
Pares præcelsæ Menti Tuæ, Fidei intaminatæ præmium,
Colossos in summitate Cynthiæ cœlum statuit;
postquam VISNIOVIECII inter Bohemos, Moschos, & Lithuanos
seditiones composuêre, binam superaddendo Crucem,
Trinam Tibi reliquunt;
Quominus Te
Ter Victorem, Ter Augustum, Ter Felicem, id est:
semper Victoriosissimum, semper Augustissimum, semper
Felicissimum faciant,
Sicut nihil cum terra commune habes, ita nihil terræ debes,
cujus fortunæ & Virtuti famulando, ipsa felicissimorũ progressuum,
Sidera dant omina.
Gentilitiam Tuam sive à stando quis derivet Stellam;
sive Tua Sidera, cum Tullio, sempiternos appellet ignes;
Te semper Stabilem, Fortem, & Constantem in Sideribus prædicabit, quem ipsa Virtus, humanam induta formam
Mater genuit Constantia.
Luciferum tamen dici Sidus Tuum nihil vetat;
Non Solem ab Oriente, sed Turcicam jam pallentem
ducet in triumpho Lunam;
qui, quot Herôés sanguine, rerum gestarum gloriâ, Fortitudine insignes, & illustres sibi adhærere videt, tot Siderum phalanges
legit, contra Ottomanicum bellaturos Sisaram.
O FORTVNATISSIMA POLONIA!
O nimiùm dilecta DEO cui militat æther!
& Tuo ad victorias, ad triumphos, & ad omnia
summa nato Herculi, trinodem Crucis Clauam porrigit.
Non speratas inde Tibi ominare Fortunas.
Si Cœlum ante pugnas statuendo Colossos promittit pacem;
Vbi Tuis post victorias, trophæa collocabis Regibus,
quibus ante victorias, triumphales Arcus Cœlum erigit à
Quales optâsti pridem, seriùs accepisti Reges.
Quò segnior, eò charior Fortuna Tua,
eòque gratior, quòd quam exspectabas à terra,
insperatò Cœlum ingessit manibus.

Tibi à Cœlo venisse Reges nemo credit,
nisi qui Poloniæ cum Polis ignorat commercia,
quæ tot Divorum, fœcunda Mater, Sanctissimis transmissis
ad astra Manibus, cognatione, & consanguinitate gaudet.
Hinc noscat Orbis,
quòd sicut Reges ità & Regna, non terrenis comparantur
favoribûs, sed Cœlitus Imperia dantur.
Eiusmodi singularem, generalem veriùs, quia ad commune
Reipublicæ bonum, Divinam Sarmatia vene-
ratur Providentiam in Vobis.
Respicio hîc Serenissimũ ac Lectiss: Sponsum Tuum,
& Invictissimũ FERDINANDVM II. Avum Tuum,
Serenissima Sponsa, ELEONORA:
Alieno, ille Regali, hic Imperiali dum veniunt suffra-
gaturi Honori, suo refragari non potuerunt.
Ignota terris, cognata Superis, *Dea certè*,
In Electione AVGVSTISSIMI FERDINANDI Secundi,
dum Electionis vota, non ad votum æquitatis cedunt,
IOANNI SVICARDO Archiepiscopo Moguntino, Electori,
Virgo vellicavit aurem, Divina Suada;
(Divini fuisse Oratricem Verbi, communis ferebat opinio)
Constanter age SVICARDE! *noli timere*, FERDINANDVM *elige*!
Ita agebat Cœlum, vt & in Avo Tuo, & in Te
provideret Poloniæ, sicut
IN SERENISSIMO SPONSO TVO,
ad cuius Electionem ipsum dum consultavit Cœlum,
Oratrix Divini Verbi pro suo perorabat Regno.
Terrena Cœlum ubi confudit consilia, in ordinem redegit vota,
dum ad votum, præter votum, Poloniæ Regem dedit.
Diutiùs deliberâsse in Electione Cælum videbatur,
dignum quærendo; inventum diutissimè ac felicissimè durare
ac perennare volens, quem serò dedit.
Cùm aliunde petiti Reges displicere potuissent,
maluit, ut inexspectati placerent,
Virtute pares,
PIETATE, CLEMENTIA, MAIESTATE.
Hæc sunt Vestræ Felicitatis omina Felices Poloni!
è Cœlo non minùs prævisi, quàm provisi Reges.
Regia ingentis capedinis Luna, nondum in auge cornibus
desuper

desuper asperata, resupinam Turcarum arietare meditatur Lunam;
favebit terra votis, favete Vos armis:
nam sicut Cælum duos Soles, ità nec terra geminas patietur Lunas.
Aurea potestis Vobis polliceri secula, quousque KORIBVTHEA
in Solio una resplendescit Luna,
& hostilis, inutilis aliàs, victoriæ sanguis serviet:

Nam hoc habet laudabile, cæterùm contemptibilis, quod dum in illo arma merguntur ferrea, aurea emergunt secula.

Adversa obtrudite pectora, vincetis prosperè,
solum timete, ne vos non timeant!
Vnum adhuc cum Celtiberis metuite,
ne Cœlum ruat,
quod & hostem, & Vestras tumulet & comprimat Victorias.

Monstrat iter Gentilitiâ Cynosurâ

POTENTISSIMVS ac INVICTISSIMVS REX

MICHAEL KORIBVT

Quem sicut Crucem Victoria, Sidera Claritas;
ità, Virtus & Victoria individuo comitatur passu,
cujus Nomen auspicatissimum dat omen victoriæ:

2 3 7 5 10 6 14 4 11 8 13 1 12 9

I claret hic Vmbo!

Quo viam ad victorias, ad triumphos, & Regni prosperitatem invenias, & Tua hoc umbone protegatur, ac propugnetur integritas.

Si plena optimæ spei quæris prodigia,
non sanguinem, ut olim in Sicilia, ad cruentæ cladis
præsagium hic Vmbo sudat; sed dulcoris lac fluens,
lacte ipso sicut dulcior, ità candidior

4 2 3 13 1 12 9 7 5 8 6 10 11 14

Hic Vmbo lac erit.

Lacte & melle flues Polona felicissima tellus,
dum in Tuo Patrem Patriæ, veneraris Filio,
qui suo Nomine, & lactis candorem, & mellis
dulcorem stillat.

Tuorum Gemma Principum,
Pijssimus, Clementissimus, Potentissimus, Victoriosissimus,

Optimus, Æquiſsimus REX, ſicut terræ à Cœlo electus, ita
Terræ & Cœlo dilectus PRINCEPS.
Appromittis hoc nomine Tuo,
Piaſteæ benignitatis dulcedine ſatiando Poloniam,
omnibus Titulis & voci, non Amori, nec dulcori ponens
Epilogum, cùm dicaris Polono
4 11 8 14 13 9 10 12 2 5 3 1 6 7
Hîc Tu orbi ac mel!

MONS CLARVS MONS MARIÆ,
SERENISSIMIS NEO-SPONSIS
MARIANAM Tutelam.

NOn ſolis Tutamen in Armis eſt;
ideo tota in amores Veſtros obligatur Polonia,
& Armis & Animis Veſtra propugnando Solia
SERENISSIMI REGES.
Tam ſublimes ſunt Regum Polonorum Majeſtates,
ut in illis, vel ipſa Cœlituum reſideat ambitio:
Polorum Domina, & Polonorum vult eſſe;
dum REGINA POLONIÆ dici amat:
Non Coronas tamen & Regna, ſed Reges Coronatos diligit.
Poteſtatis Nomen in Pietatis reformando titulos,
VOBIS REGIBVS;
quos, ut Heredes Regina, præeſſe voluit,
& ut Mater vult prodeſſe.
Et jure ſuam in Poloniam, & in vos Poteſtatem uſurpat,
quæ Vos dedit Poloniæ.
Sola in Reges hæc promovet Mancipia,
ex quibus & Reges & ſervos habeat;
Sed
Amica ſunt hæc Servitutis Vincula,
quibus & Amores & communia Regnorum nectuntur conſortia.
Et bene;
Nam quoquomodo parta Reges tueri Regna nequeunt,
ſi eadem, cum hac non partiuntur Regina

Vos,

Vos, pretiosas Poloniæ Gemmas, ab omni excludit casu,
dum MARIANA includit Concha,
& Maiestatum Vestrarum Serenitates, ab occasu protegit.
Hoc Tua fecit in Divam Diva Pietas,
SERENISSIME REX.
Alienæ Soles Nobilitatis,
vel in Letæis, vel in Stygijs paludibus,
ad Occasum quærunt Oceanos;
Tu cùm in Gratiarum MARE Tua cum Aureo Corde
mersisti Sidera,
in Gratiarum auge, ad æternitatis emerserunt diem.
Pretioso Te hîc induit Innocentiæ & sui Amoris splendore:
Nouit quippe,
*quòd & Regum Purpuras tinea rodit, si eas Amoris MARIANI
non accendunt ostro*
Hoc sit felicissimum omen Majestatis Tuæ
SERENISSIMA POLONIÆ REGINA,
vel uno Gratiosissima Nomine
ELEONORA,
quod hîc faustum voluit Agamemnonis Conjux filiæ Nubentis omen,
quæ tunc daturam, se spopondit, sponso filiam:
quando erit Lunæ Circulus plenus.
Iam Sponsi Tui Sidera, illa implet Claritas,
quam Luci in Matrem elegit Splendor.
Astris Castrisq; Similis
Et illustrare, & tueri Vestra promittit Soliá;
ad quod vel ipsos jure Sanguinis
Tibi vides obligari Cælites,
CASIMIROS, HYACINTHOS, KOSTKAS,
POTENTISSIME REX,
Magnifico pariter, ac munifico affectu,
quæ alijs Vectigalia Servitutis erant, Amoris tributa fecisti,
quò Cælorum favores emereri studes,
vt discat Posteritas:
Et Superos auro corrumpi posse, si humanæ non favent Causæ,
Dum favent Cœlites,

quæ Tuis Regibus fers Vota POLONIA?
More Macedonum, Tu Regibus da Fortunam,
cùm longissimam & felicissimam dent
Superi Vitam.
Præmonstrâstis Viam, & Pietatis & Lætitiæ Princi[illegible],
dum Cosmophilos Mater ad Cæli amores vocat,
ideò filios, quia Polonos.
Huc Oculos, huc Manus, huc Corda date,
Innocentes Amasij,
quos favoribus, & datis de Cælo Regibus, ad Amoris certamen,
Cælestis provocat Amazon,
cui obsequi libertas; à qua vinci Victoria est:
Novis Vinctos ac obligatos favoribus jam Vos
Vobis redditos, reddit Regibus
Felices POLONI!
Ergò
Augusti, Fortunati, Potentes,
plurimas Olympiades felicissimè & vincite, & vivite
Immortalitatis CANDIDATI!
Pios, Clementes, Fortes, Victores, Pacificos
fovebit, tuebitur, armabit, coronabit,
Divinitatis Aula MARIA.
Non enim frustra:
Mille Clypei ex ea pendent, & omnis armatura fortium.
Et pacata Polonia, cùm non arma, sed votorum anathema
appendit tholis MARIANIS, pro Vobis
SERENISSIMIS REGIBUS ac DOMINIS;
è Magnis Votis Poloniæ, hæc minutissima Clari Montis analecta
sacra sunto, in Pietatis Religiosæ signum.
Tenui quidem fulcitur calamo, stabit tamen nostra, cũ erecta Polonia,
erga REGIAS MAIESTATES devotio,
dum eò sequitur, quò Regium prævolavit Cor Tuum
SERENISSIME AC POTENTISSIME REX
MICHAEL KORIBUT,
quò tendentibus, sicut omnibus,
Innocentiâ, Pietate, Clementiâ, ac Majestatis Serenitate;
ità & Tuum, monstrando Viam
8 9 10 1 2 4 11 7 13 3 6 12 5 14
Cor mihi lucebat.